

OKLEVELEK

MAYLÁD ISTVÁN TÖRTÉNETÉHEZ.

— MÁSODIK ÉS BEFEJEZŐ KÖZLEMÉNY. —

XVIII. Berzencze, 1532. júnus 29.

Maylád István levele Nádasdy Tamáshoz.

Magnifice domine observandissime, post mei et servitiorum commendationem. Intellexi literas d. v. et ultimas et etiam, quae pro Farkasich scribit, quia heri vesper huc ad me venit, quem vel mecum, vel ipsum solum ad Kaproncza die crastina mittam, ut iterum conveniat d. v. m. D. v. m. itaque non putet me a servitiis d. v. sine causa retraxisse, nec dolor pedes (*így*) me retinisset, nam alterius consilium me retinuit, ut ad Schenythiak non iverim, nisi ita fuit visum domino Paulo Kereczeny, quem hucusque apud d. v. m. esse existimo. Nam siquid facere voluissemus, neminem eotunc reperire potuissemus, quoniam prae metu omnes aufugerant, sic tandem post intimata ipsius Zwynyok sum reversus. Servitores d. v. m., quos ad Senythak misi, non timeat d. v. m., quia bono modo et bona provisione eos misi. Nam misi eos ad castrum domini videlicet Pusztovicza cum hominibus ipsius domini regis, qui iam illuc salvi pervenerunt. Interim non me illuc movi, illuc tamen nullo modo se movebunt, nisi cum consilio castellanorum de Stanychnak, et si opus fuerit, commisit dominis castellanis suis, ut et peditibus et equitibus eos usque ad Stenyschnak conducant. Nec credat d. v. m. tanta spolia ibi esse perpetrata, secus intelligere daret d. v. m., quia ego non credo illo mendaci Nicolao Literato, sed aliis fidelioribus, qui ibi fuerunt. Promisit etiam cuniculus se omnia rectificare, non modo illi in registro mittendo damna, quae homines sui fecissent. Interim ipse nihil facere praetendit et bona occupata omnia relaxare vellet. Visum itaque fuit autem d. v. m., ut interea supersedeamus et videamus, cum qua relatione iterum a cuniculo redibit homo d. v. m. Germanos autem vidit Nicolaus Literatus,

et plus quam VIII equites et 7 pedites fuerunt, et volunt movere se, quando Nicolaus Literatus ibi fuit, ad Chucha, quia Szaudzsak de Bozna movit se adhuc, quum ego in Welyke eram, versus Albam Nandor, et prope fluvium Zawa discessit. Sequuntur etiam eum victores Thurci, volunt illos persequere, si ita est, ut mihi Nicolaus Literatus dicit. Aliud est, si ego interesset et ibi omnia fecissemus, diu ibi non potuissemus perseverare et si iterum illuc revenissemus, tandem cuniculus cum suis complicibus fecisset maiora damna. Vidit enim d. v. m., quomodo vadunt tempora, si multos inimicos habebimus ab omnibus partibus, erimus insufficientes ne forte et ideo, si vera sunt insinuata cuniculi, mihi sic visum fuit et caeteris amicis d. v., ut ad tempus parvum imponerem illos L equites et pedites 411 et sufficerent nunc. Jam quid d. v. m. voluerit facere, poterit omnia facere. Germani multum habent equitem gravis armaturae praeter Croatos cum clipeis excepto nonnullis. Non est verum, ut Farkasich et alii damnificant, petunt auxilium, quia volunt eorum damna rehabere et ne forte propter d. v. m. optarent bellum, serius pro se ipsis, tamen d. v. m. agat sufficientem, tempus habemus ad recuperanda damna ista et ita, quod cuniculum totaliter delere (?) possumus. Non ut omnes servitores d. v. m. non misissem ad Stenychiak, sed etiam solus libenter ivissem, sed domino Paulo Brechenyi, quem apud d. v. m. esse puto, prius scripsi, ita visum fuit, quod illi sufficientes essent, quos misi.

Quid Franciscum Batthyany agit, mihi molestum est audere, et nescio; si d. v. m. intelligit negotium domini Pekry, domino Thahy sic obtulerunt ex Uyvár, ut non potuissem cum rege meo concordare de suis servitiis et pro aliqua summa pecuniarum monstrassent sibi Posonium . . . sibi dictum est, neque Anthonio Banffy, sic iracunde ex Posonio venerunt ambo cum Banffy, alemani post eos, et lustraverunt omnes currus koczi et Banffy interfecerunt etiam nonnullos ex istis, isti in equis reverterunt. Et ut intelligo, ista est causa, ut regi meo nunquam plus servire volunt. Praeterea optat convenire d. v. et dominus Thahy; nunc leviter poteretis eum ad principem vestrum trahere servitorem. D. v. equites, quos ad Stenychnyak misi, et hic et ibi plenam solutionem unius mensis XL peditibus solvi per flor. 2, illis XL, qui ex Kanizsa cum Michaeli Horvath iverant de solvent ad mensem unum. A domino Thahy accepi literas, iuxta quas d. v. illisolvere habet, dedit pecuniam Ex castro suo Berzencze, in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum 1532.

servitor Maylad.

Kivül : Magnifico domino Thomae de Nadasd *stb.*

(Eredetije az országos levéltárban.)

XIX. Furest, 1533. junius 22.

Vlad havasalföldi vajda levele Báthory István erdélyi vajdához.

Spectabilis et magnifice domine, domine frater, amice vicineque charissime, post salutem ac fraternitatis, amicitiae, bonaeque vicinitatis nostrae debitum commendationem. Noverit vestra spectabilis et magnifica dominatio, quod saepius conquesti sumus v. sp. et m. d. ex parte Stephani Zewrthey, quanta damna in alpibus nostris cum suis maleficis nobis intulit, qui usque huc nihil instituire voluit, nec vult. Recordetur etiam v. sp. et m. d., dum et quando potentissimus Caesar Turcorum Austriam invaserat, praedecessor videlicet Wlad waywoda Transalpinensis tributum regni nostri Transalpinensis ipsi Caesari Turcorum medio nonnullorum boyarorum nostrorum, videlicet Theodoro supremo logothetho et Sarban wdvornicho per Hungariam mittere decreverat, cum vero ad civitatem regiae maiestatis Karansebes pervenissent, tunc ipsi civitatenses ab eis mille florenos acceperant sub eo colore, quod ipsos comitare velint, quousque cum tributo illo ad Caesarem pervenire possint. Ferunt etiam eos dixisse, quod sine eorum comitiva nullo modo usque ad loca illa pervenire valebant secure, extunc comitati sunt eos usque ad aliqua loca, feceruntque inter eos tales rumores, quod Caesar ipse per Germanos profligatus esset, et sic coacti, tergaversus usque ad praedictam civitatem devenisse cum magno pudore, ibique ab eis equos accepisse. Tandem etiam servitores Sarban udvornyk unum ex Karansebesiensibus interfecerant, pro quo coactus dare est quatuorcenta florenos; postea et ipsi Sebesienses unum ex servitoribus Sarban udvornyk interfecerant et nihil pro eo solvere voluerunt, et quando exercitus Hamza bani atque aliorum boyarorum nostrorum, qui per totam aestatem in servitiis regiae maiestatis Budam Estergoniumque erant servituti, in reditu eorum ad Transalpinam etiam equos et alias res vi potentiaque eorum acceperant. Quapropter rogamus v. sp. et m. d., tamquam fratrem, amicum bonumque vicinum nostrum charissimum, ut secundum mandatum regiae maiestatis omni communi iustitia, quae jubet dare omnibus, quod suum est, administrare digneretis, quod si secus tantum scandalum erga boyarones nostros factum totque damna impensa nullatenus mittere volumus, sed alias de re negotioque isto excogitabimus; deinde quod quod boyaro noster nomine Maylath Zpathar atque egregius Petrus Pythar secretarius noster nomine nostro v. sp. et m. d. dicent, fidem indubiam ei praestare velitis, sicut et nobis. Dominationem deus maximus felicissimam conservet ad sua vota desi-

deria multos ad annos. Datum in domo nostra Fwrest, vigesima secunda die Junii, anno domini 1533.

Wlad dei gratia dominus verus,
haeres waywodaque regni Transalpinensis.

Kivül: Spectabili et magnifico domino, domino Stephano Bathory de Somlyo waywodae Transsilvanensi et siculorum comiti, domino fratri, amico vicinoque nobis charissimo.

(Eredetije a M. Nemz. Muzeum levéltárában.)

XX. Fogaras, 1535. augusztus 17.

Majlád István erdélyi vajda Petky Gábor birtokaira, melyeken a hamis pénzverők elhatalmasodtak, biztosul kiküldi Majlád Demetert.

Stephanus Maylath vayvoda Transylvanus et siculorum comes, circumspectis ac providis iudicibus, garabiis, kenesiis ac villicis, necnon iuratis caeterisque civibus et universitati iobbagionum nobilis Gabrielis Pethky in his partibus Transylvanis ubivis existentibus favorem. Quoniam in bonis praefati Gabrielis Pethky, qui dominus terrestris videlicet hactenus fuit inter vos, utputa ibidem in Pethk manifestus cussor falsarum monetarum compertus est, cussio autem falsarum monetarum notam perpetuae infidelitatis aperte tangit, et cussor quidem eorum poena demerita puniri solitus est et debebit, sed et ipse Gabriel Pethki sententiam capitalem et ex eo amissionem cunctorum bonorum et iurium possessionariorum atque rerum quarumlibet palam incurrisse perhibetur, propter quod vos per egregium Demetrium Maylath fratrem germanum nostrum seu hominem suum, praesentium scilicet ostensorem, regiam ad rationem occupari decernere duximus committendum, prout committimus praesentiumque per vigorem. Quocirca requirimus vos et nihilominus vobis et vestrum cuilibet harum serie regia in persona sub amissione omnium bonorum et capitum vestrorum firmissime committimus, quatenus agnitis praesentibus erga praefatum Demetrium Maylath fratrem germanum nostrum seu hominem suum, praesentium, ut praefertur, ostensorem auscultare, eundemque tamquam dominum vestrum terrestrem praemissam regiam ad rationem audire, eidemque obtemperare et erga eundem, ut subditos decet, in omnibus vos ipsos tenere debeatis et teneamini, secus poena sub praemissa nulla ratione facere praesumentes; praesentibus perlectis exhibentibus restitutis. Datum in Fogaras, feria tertia proxima ante festum beati Stephani primi regis Hungarorum, anno domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto.

(A gyulafehérvári káptalan által 1810. aug. 10-én kiadott hiteles másolat a gróf Majláth György zavari levéltárában.)

XXI. 1536. aprilis 2.

A kolosmonostori convent előtt a kolosvári domokosrendiek kiküldöttei ígéretet tesznek, hogyha a Thury Benedek által nekik hagyományozott thuri jószág eladásra kerülne, azt Majlád Istvánnak fogják eladni.

Nos conventus beatae Mariae virginis de Kolosmonostra, memoriae commendamus per praesentes, quod religiosi fratres Vitalis prior conventus ordinis beati Dominici in clauastro beatae Mariae virginis in civitate Kolosvár fundato, necnon Laurentius eiusdem ordinis in persona totius conventus eiusdem ordinis nostram personaliter venientes in praesentiam, sponte et libere confessi sunt retuleruntque in hunc modum, quod si temporis in processu casualiter contigerit ipsos possessionem eorum Thur vocatam ab egregio quondam Benedicto Thury eisdem in perpetuam elemosynam legatam pro pecuniis vendere, et tunc nemini alteri praeterquam spectabili et magnifico domino Stephano Maylath vayvodae Transylvano et sicularum comiti vendere volunt et nemini alteri, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in dominico Judica, anno dni 1536.

(A kolosmonostori convent által 1810. dec. 27-én kiadott hiteles másolata gróf Majláth György zavari levéltárában.)

XXII. 1537. febr. 9.

A kolosmonostori convent előtt a Thamássyak dobokavármegyei birtokaikat eladják 4000 arany forintért Majlád István erdélyi vajdának.

Nos conventus ecclesiae beatae Mariae virginis de Colosmonostra. omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris praesentes literas nostras inspecturis, salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod egregius Bernardus Thamássi de Naznanfalva ac nobilis Ludovicus filius egregii quondam Francisci similiter Thamássi de Zentkiral, idem nihilominus Bernardus Thamássy praefati Ludovici Thamassy praesentis et deinde iidem Bernardus et Ludovicus Thamassy ambo unanimiter nobilis Joannis filii dicti quondam Francisci Thamassy, onera et quaelibet gravamina infrascriptorum, si persistere nollent, super se ipsos per omnia assumendo, nostram personaliter venientes in praesentiam, sponte et libere sunt confessi et retulerunt nobis in hunc modum, quomodo ipsi matura inter sese deliberatione praehabita certis bonis respectibus animum eorum ad id moventibus et inducentibus totales et integras possessiones ipsorum Harynna et Monyoros, Bylak et Neez vocatas in comitatu de Doboka existentes habitas per ipsos Bernardum et quondam Franciscum Thamassy propriis eorum utilitatibus et pertinentiis quibuscumque, terris sci-

licet arabilibus cultis et incultis, aquis, pratis, pascuis, campis, foenetis, foenilibus, sylvis, nemoribus, rubetis, virgultis, spinetis, arundinetis montibus, collibus, vallibus, vineis vinearumque promontoriis, aquis, fluviis, rivis, rivulis, piscinis, piscaturis, aquarumque decursibus, molendinis, molendinorumque et piscinarum locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum et pertinentiarum eorundem integritatibus quovis nominis vocabulo vocitatis ad eosdem de iure et ab antiquo spectantibus, pertine-reque debentibus, sub eorum veris metis et antiquis existentibus, spectabilibus ac generosis et magnificis dominis Stephano Maylad vayvodae Transylvano ac Sicularum comiti ac dominae Annae de Nadasd consorti eiusdem, ipsorumque haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis pro quatuor millibus florenorum auri puri Hungaricalis veri, boni et iusti ponderis, plene ab eisdem coram nobis receptis et levatis dedissent, vendidissent et ascripsissent iure perpetuo et irrevocabiliter tenendas, utendas, possidendas pariter et habendas, nil iuris nilve proprietatis et dominii praedicti Bernardus ac Ludovicus et Joannes Thamassy sibi ipsis et eorum haeredibus reservando, sed totum et omne ius ipsorum omnemque iuris et dominii proprietatem, quod et quam ipsi in praenominatis quatuor integris possessionibus videlicet Harina ac Monyoros, Bylak et Neez et pertinentiis eorum habuissent vel haberent, se ipsosque et eorum haeredes et posteritates etiam in futurum quomodolibet habere sperassent, in et ad praetitulatum dominum Stephanum Maylad comitem et vayvodam ac dominam Annam Nadasdy consortem eiusdem, ipsorumque haeredes et posteritates utriusque sexus universos trans-tulissent pleno iure atque cum effectu, imo [dederunt], vendiderunt ascripserunt et perpetuaverunt, totum quoque ius et dominium ipsorum transtulerunt coram nobis. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam [praesens instrumentum] sigilli nostri munimine [roboratum] duximus concedendum emanarique faciendum et extradandum iurium communi iustitia requirente. Datum feria sexta in festo beatae Apolloniae virginis et martyris, anno domini [millesimo] quingentesimo tricesimo septimo.

(A kolosmonostori convent által 1810. dec. 27-én kiadott hiteles másolata gróf Majláth György zavarai levéltárában.)

XXIII. V á r a d, 1537. m a r t i u s 7.

János király meghagyja a kolosmonostori conventnek, hogy Majlád István vajdát a Thamássyaktól vett dobokavármegyei birtokokba igtassa be.

Joannes dei gratia rex Hungariae etc. fidelibus nostris conventui ecclesiae beatae Mariae virginis de Kolosmonostra salutem et gratiam. Cum nos illi fassioni perpetuaeque venditioni

et inscriptioni, quam fidelis noster egregius Bernardus Thamassy de Zenthkiraly, oneribus et quibuslibet gravaminibus nobilium Ludovici et Joannis filiorumque Francisci Thamassy, fratrum suorum patrueium super se levatis super totalibus possessionibus suis ac eorundem fratrum suorum Harynna, Neez, Bylak et Monyoros nominatis omnino in comitatu de Doboka existentibus et habitis fidei nostro spectabili et magnifico Stephano Maylad de Fogaras vayvodae nostro Transylvanensi et siculorum nostrorum comiti coram nobis fecisset, consensum nostrum regium praeberimus pariter et assensum, nihilominus totum et omne ius nostrum regium, si quod in dictis possessionibus Harynna, Neez, Bylak et Monyoros qualitercunque haberemus, aut eadem nostram ex quibuscunque causis, viis, modis et rationibus concernerent maiestatem ac pariter cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet memorato Stephano Maylad vayvodae nostro ac per eum generosae magnificaeque dominae Annae de Nadasd consorti suae, ipsorumque haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis mediantibus aliis literis nostris superinde confectis dederimus, donaverimus et contulerimus, velimusque eosdem per nostrum ac vestrum homines in dominium earundem legitime facere introduci. Pro eo fidelitati vestrae harum serie firmiter committimus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente Stephanus de Galacz, sive Anthonius Fychor de eadem Galacz, vel Georgius de Halabor, nam Lazarus aut Nicolaus Jankaffy de Ews, aliis absentibus homo noster ad facies dictarum possessionum Harynna, Neez, Bylak et Monyoros vicinis et commetaneis earundem universis inibi legitime convocatis et praesentibus accedendo, introducat praefatos Stephanum Maylad vayvodam et dominam Annam consortem suam in dominium earundem, statuaturque easdem eisdem simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet praemissae fassionis, consensusque ac iuris nostri regii titulo ipsis incumbente perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum, contradictores vero si qui fuerint, evocet eosdem contra annotatos Stephanum Maylad vayvodam nostrum et dominam Annam consortem suam in curiam nostram scilicet maiestatis personalem in praesentiam ad terminum competentem, rationem contradictionis reddituros; et post haec huiusmodi introductionis et statutionis seriem cum contradictorum et evocatorum, si qui fuerint, vicinorumque et commetaneorum, qui praemissae statuti intererunt, nominibus terminoque assignato, ut fuerit expediens, dictae nostrae personali praesentiae fideliter rescribatis. Datum Varadini, feria quarta proxima post dominicam Oculi, anno domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo, regnorum vero nostrorum undecimo.

A kolosmonostori convent 1537. május 21-én kelt bizonyságleveléből, l. XXIX. sz. a.

(A kolosmonostori convent által 1810. decz. 27-én kiadott hiteles másolata gróf Majláth György zavari levéltárában.)

XXIV. Szamosfalva, 1537. márczius 13.

Mikola László erdélyi alvajda meghagyja a kolosmonostori conventnek, hogy Majlád István vajdát Bálványos vára s a hozzá tartozó jószágok birtokába igtassa be.

[Amicis suis conventui] ecclesiae beatae Mariae virginis de Colosmonostra Ladislaus Mykola de Zamosfalva vicevayvoda Transylvanus et sicularum vicecomes etc. amicitiam paratam cum honore. Dicitur nobis in persona spe[ctabilis et magnifici] domini, domini Stephani Maylad vayvodae] partium regni Transylvanarum et sicularum comitis etc., domini nostri gratiosissimi, qualiter sua spectabilis magnificentia in dominium arcis Balványos vocatae in comitatu Zolnok interiori existentiae habitae [et universarum pertinentiarum eius in quibuscunque] comitatibus adiacentium suam spectabilem magnificentiam ac haeredes et posteritates eiusdem utriusque sexus universos et per eum generosamque ac magnificam dominam Annam de Nadasd consortem, [necnon et egregium Demetrium similiter Maylad] fratrem suum carnalem certae emptionis titulo mediante literis vestris fassionabilibus superinde confectis et emanatis factae et celebratae concernentium una cum eisdem legitime vellet introire. [Unde nos fidelitati vestrae harum serie mandamus firmiter,] quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente egregius ac nobilis Bartholomaeus vel Ladislaus aut Sebastianus Makray de Zenth Gyeorgh, sive Nicolaus Szuchaky [aliis] absentibus homo noster vicevayvodalis, ex quo sua spectabilis magnificentia nunc extra hoc regnum existit, et a statutione propter completionem anni summe indigere dicitur, ad faciem praedicti castri [vicinis et commetaneis] inibi legitime convocatis et praesentibus accedendo, introducat praefatum dominum Stephanum Maylad, haeredes et posteritates eiusdem utriusque sexus universos et per eum praedictam dominam Annam consortem [suam, necnon et Demetrium] fratrem suum in dominium eiusdem castri et universarum pertinentiarum eius ubilibet ut praefertur et in quibuscunque comitatibus existentium habitatum praemissae emptionis et inscriptionis titulo ipsis incumbente [perpetuo possidendum, si non fuerit contradictum, contradictores] vero si qui fuerint, evocet illos contra eosdem dominum Stephanum Maylad ac dominam Annam consortem et Demetrium Maylad fratrem suum ad terminum competentem nostram vel

cuius vayvodae seu vice[vayvodae] in praesentiam, rationem contradictionis eorum reddituros efficacem. Et posthaec huiusmodi introductionis et statutionis seriem cum vicinorum et commetaneorum, si qui fu[erint prout vobis fuerit] expediens, nobis amicabiliter suo modo rescribatis, secus non facturi. Datum in domo nostra Zamosfalva praedicta, feria tertia proxima post dominicam Laetare, anno domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo.

1537.
márcz. 13.

A kolosmonostori convent 1537. május 14. körül kelt bizonyoságleveléből, l. XXVIII. sz. a.

XXV. 1537. május 14 körül.

A kolosmonostori convent bizonyoságot tesz Majlád István vajdának Bálványos vára és a hozzá tartozó jószágok birtokába történt beigtatása felől.

Conventus monasterii beatae Mariae virginis de Colosmonstra omnibus [Christi fidelibus praesentibus] atque futuris praesentes inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos literas egregii domini Ladislai Mykola de Za[mosfalva vicevayvodae Transylvanensis etc.] amici nostri honorandi introductorias et statutorias pro parte spectabilis et magnifici domini, domini Stephani Maylad vayvodae Transylvanensis et Siculorum comitis etc. ac haeredum et posteritatum eiusdem [utriusque sexus et per eum generosae ac magnificae] dominae Annae de Nadasd consortis suae, necnon et egregii Demetrii similiter Maylad fratris sui carnalis confectas et emanatas nobis amicabiliter loquentes et directas honore, quo decuit, accepimus [hunc tenorem continentes: Amicis suis conventui] ecclesiae beatae Mariae virginis de Colosmonstra stb. (l. a XXIV. sz. oklevelet.) [Nos igitur] petitionibus praefati domini vayvodae annuentes, ut tene-mur, unacum Ladislao Makray de Zenth György homine suo vicevayvodali in praescriptis literis eiusdem inter alios nominatim conscriptos expressato nost[rum hominem videlicet religiosum virum] Simonem sacerdotem socium nostrum conventualem ad praemissa fideliter exequenda nostro pro testimonio fidedignum duximus destinandum, qui tandem exinde ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt eo modo, quomo[do ipsi feria] dominicam Cantate novissime praeterita et aliis diebus sequentibus ad id aptis ad facies dictorum castri Balvanyos ac pertinentiarum eius in de Zolnok, Doboka et Colos ac ubivis et in quibuscunque comitatibus adiacentium [. . . . vicinis et commetaneis] eorundem universis et signanter providis Stephano Bogathi, Nicolao Apaffi, Gregorio Mathe, Thoma Biro, Paulo

Pathyus, egregii Wolfgangi de Bethlen, Alberto Damokos, egregii Joannis Kemen, in possessione Dechye [vocata residentibus, aliis] etiam quampluribus inibi legitime convocatis et praesentibus accessissent, ibique idem homo iam dicti domini vicevayvodae, dicto nostro testimonio praesente, memoratos dominum Stephanum Maylad vayvodam [eiusque] haeredes [et posteritates universos utriusque sexus, et per] eum generosam magnificam dominam Annam de Nadasd consortem suam, necnon Demetrium similiter Maylad fratrem carnalem praefati domini vayvodae in dominium praetitulati castri Balvanyos [. . . .et universarum pertinentiarum eius in] quibuscunque comitatibus existentium habitarum introduxisset, statuissetque idem et easdem simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuscunque, praemissis iuribus et titulis ipsis incumbentibus. . . . legit]imis et sufficientibus diebus ipsis moram faciendo, nemine penitus contradictore inibi apparente. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras privilegiales pendentis et authentici [sigilli nostri munimine roboratas duximus concedendas, communi] iustitia suadente. Datum sedecimo die [diei] introductionis et statutionis praemissarum, anno domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo supradicto.

(A gyulafejérvári káptalan által 1810. aug. 9-én kiadott hiteles másolata gróf Majláth György zavarai levéltárában.)

XXVI. 1537. május 21.

A kolosmonostori convent bizonyoságot tesz a felől, hogy Majlád István vajdát a Thamássyaktól vett dobokavármegyei birtokukba beigtatta.

Conventus monasterii beatae Mariae virginis de Kolosmonstra omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesentes inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universitatis vestrae harum serie volumus pervenire notitiam, quod nos literas serenissimi principis et domini domini Joannis dei gratia regis Hungariae etc. domini nostri naturalis et clementissimi introductorias et statutorias pro parte spectabilis et magnifici domini, domini Stephani Maylad vayvodae Transylvanensis et siculorum comitis ac per eum generosae magnificaeque dominae Annae de Nadasd, consortis suae ipsorumque haeredum et posteritatum utriusque sexus universorum confectas et emanatas et directas summo cum honore recepimus in haec verba: Joannes dei gratia stb. (*l. a XXIII. sz. oklevelet.*) Quibus receptis nos mandatis praefati domini nostri regis semper et in omnibus satisfacere cupientes ut tenemur, una cum praefato Lazaro Jankaffy de Ews homine suae maiestatis in praescriptis literis eiusdem inter alios nominatim conscriptos expressato nostrum hominem

videlicet religiosum virum fratrem Simonem sacerdotem socium nostrum conventualem ad praemissa fideliter exequenda nostro pro testimonio fidedignum duximus destinandum, qui exinde ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt eo modo, quomodo ipsi die dominico Rogationum novissime praeterito ad facies praetactarum possessionum Harynna, Neez, Bylak et Monyoros omnino in praedicto comitatu de Doboka existentium habitaram vicinis et commetaneis earundem universis ac signanter nobilibus Nicolao Jankaffy de Ews, Stephano Galaczy, Anthonio Fychyor, Michaelae Galaczy et Mathaëo Pesthessy de Galacz, necnon providis Joanne Zaz, Jacobo Morossor, Stephano Longos, Cristanno Reiidel, Georgio Veres et Ambrosio Zekel in possessione Lekencze vocata residentibus, aliis etiam quampluribus inibi legitime convocatis et praesentibus accessissent, ibique idem homo iamdicti domini nostri regis dicto nostro testimonio praesente memoratos dominum Stephanum Maylad vayvodam et per eum generosam magnificamque dominam Annam de Nadasd consortem suam, ipsorumque haeredes et posteritates in dominium praetitulatarum possessionum Harynna, Neez, Bylak et Monyoros introduxisset statuissetque easdem eisdem simul cum cunctis earundem utilitatibus et pertinentiis quibuscumque, praemissis iuribus et titulis ipsis incumbentibus perpetuo possidendum, in facie earundem possessionum Harynna, Neez, Bylak et Monyoros continuis tribus diebus moram faciendo et tandem nobis quoque hic in conventu nostro legitimis quindecim diebus expectantibus et nullo penitus contradictore apparente. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras privilegiales pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratas eisdem duximus concedendas iustitia suadente. Datum sedecimo die diei introductionis et statutionis praemissarum, anno domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo supradicto.

1537.
május 6.

(A kolosmonostori convent által 1810. decz. 27-én kiadott hiteles másolata gróf Majláth György zavari levéltárában.)

XXVII. V á r a d, 1537. a u g u s z t u s 8.

János király meghagyja a gyulafehérvári káptalannak, hogy Maylád István vajdát Bálványos vára és hozzátartozandóságai birtokába igtassa be.

